



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 59. Oranum a Cardinale Ximenio suis sumptibus expugnatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

citus esset, integra fide eadem Regna ad-  
ministraturum, donec Carolus Archidux  
ejus Nepos pupillarem ætatem egressus  
esset. Hæ conditiones, si Marianæ fi-  
des, jam inter partes conclusæ fuerant,  
priusquam Galliarum Regi, ac Cardinali  
proponerentur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1509.

§. LIX.

*Oramum a Cardinale Ximenio suis  
sumptibus expugnatum.*

Dum interea Arragoniæ Rex totus in  
eo erat, ut suam in Castellæ Regno  
auctoritatem firmaret, Ximenius vulgo  
dictus Cardinalis Hispanus, Regis Catho-  
lici ditiones apud Mauros ampliare stu-  
duit, eique labente hoc anno subjecit  
Oranum, quæ percelebris Algeriani re-  
gni urbs est ad Tremesanam oram sita.  
Cum enim Hieronymus Vianellus natio-  
ne Venetus delineationes omnium mari-  
timarum Africæ civitatum a se adorna-  
tas Ximenio exhibuisset, inter ceteras  
Cardinali præplacuit Orani descriptio,  
quam ob causam, ut Ferdinandum ad  
urbis hujus expugnationem induceret,  
nullum non movebat lapidem: Verum  
Rex bello adversus Venetos implicitus,  
novam expeditionem suscipere renuit, di-  
laudato tamen Cardinalis consilio, atque  
ejus executione ad opportunius tempus  
protra-

Gomez. in  
vit Xim. l. 4.  
Marian. lib.  
29. n. 79.  
Ciacon. in  
Jul. II. to. 3.  
p. 280.  
Raynald. l. c.  
num. 23.

Secul. XVI. A.C. 1509 protracta. Nec tamen propterea Cardinalis animum despondit, cumque ex Archiepiscopali Toletana Ecclesia, aliisque, quibus auctus erat, aulæ dignitatibus ingentes redditus perciperet, propriis sumptibus urbis hujus expugnationem promoveri statuit, dummodo suis conatibus Regis quoque consensus accederet. Igitur ad illum hac super re literas dedit, felici prorsus successu; quippe Ferdinandus diu quidem hæsitans, atque cunctatus, tandem Ximenii votis cessit, ea tamen lege, ut si cæptis optatus abluderet eventus, omnibus, quas fecisset, expensis frustraretur, ablata tam a Rege quam ab ejus successoribus vel minimum repetendi spe.

## §. LX.

*Orani expugnatio Petro Navarro Belliduci demandata.*

Acceptit haud ægre Ximenius conditionem, atque aliam vicissim Regi proposuit petitionem, quam itidem impetravit. Postulabat nimirum, ut si cæptis faveret fortuna, Oranum Sedi Toletanæ tamdiu beneficiario jure obstrictum permaneret, usquedum ea, quæ pro urbis expugnatione fuissent impensa, vel ipsi vel ejus Ecclesiæ compensata essent. Rege annuente Ximenius ipse Africam petere,